



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Ad Oenipontanos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

faciatis: ac simul oues errantes ad suum reducatis ouile. De me hoc vnum reticere non possum, & valde vobis commendatum cupio, vt quandiu nouum Collegium, ac Templum D. Michaëli sacram durabit, Senioris Canisij vestri non obliuiscamini, talemque primum siue fabrum, siue Architectum vestris sacrificiis, & precibus Domino commendetis. Ipsi laus, & gloria sempiterna.

*Ad Oenipontanos.*

Deniq; O Enipontanos in hunc modum hor-tatur. Excolite porro, vt cœpistis, messem Tyrolensem, ac in ea cum prospera Domini benedi-ctione pergit laborare. Commendo vobis, quo-ad possum, debitæ gratitudinis officium, quod nō solum Fundatoribus Austriacis, verùm etiam aliis quoq; Patronis, & amicis, quos Christus non paucos tribuit, sedulò, & feliciter exhibere debeatis. Egregium vobis patet Ostium ad multos nobiles, & ignobiles, ad magnos, & paruos utriusq; sexus homines Christo lucrificiendos, atque in omni pietatis, & virtutis studio magis, magisque confirmados. Igitur paratam vobis messem, eamque uberem libenter amate, & prouochite apud Tyrolenses: nec verbo solum, sed etiam exemplo ad meliora æmulanda charismata multorum in-formate

formate animos, quemadmodum Christus Dominus messis, & Societatis nostræ institutum, iustaq; amicorum expectatio sancta à vobis exigūt, & deposita sunt. Mihi vero iam emerito velut seni, ac inutili operario haud parum beneficij contuleritis fratres, si Canisij vestri senioris memoriam vestris & sacrificiis, & precibus, quæ vestra est in me benevolentia, crebro interposueritis: illud spero procuraturi, vt viui, & defuncti primi Patris apud vos memoria non intermoriatur. Bene in Christo valete Patres, fratresq; Carissimi, ac eam præclaræ vestræ Vocationis rationem semper habete, vt professione pauperes, obedientia simplices, spiritu feruentes, & animarum zelo flagrantibus multos in Christo filios generetis, ac nutriatis.

His vocibus, hisque curis infatigabilem sacer Christi Athleta cursum consummabat: multiplicabaturq; in senecta uberi, bene patiens, vt quan- diu superesset in se halitus, & Dei spiritus in naribus suis, diuina monita omnibus annuntiaret. Dum vero longè positos cohortatur socios, & supremis monitis instruit, nequaquam præsentes oblitus est Friburgenses. Itaq; eos dulcissimis hisce verbis affatur. Diuinæ Majestati, vt par est, gra-

*Ad Fribur.  
genses.*

f tias